

VVILLERAMVS ABBAS MERSEBURGENSIS.



V Villeramus optimo ingenio & magna animi industria præditus fuit. itaq; literarum amore patriam relinquens Parisiis sese contulit. Ibi enim omnes humaniores literæ maximè florabant. hinc factum, ut breui in sacris & prophanicis studijs magnum nomē acquisierit. Cum autem in patriam literarijs artibus ornatus rediisset, Bäbergensis Ecclesiæ scholasticus factus est. Verūm cū mores eius collegij minus approbaret, atq; intērim cōsideraret, huius mundi gloriam & uoluptates subito cum tempore transire, cōtempto eo statu in Fuldēsi monasterio monachum induit. Tum enim omnes literæ maximo ardore in eo loco tanquam in celebri Academia doccbantur. Ibi magnum uolumen prosa & carmine cōscriptum in Cantica Canticorum composuit, atq; nuptias Christi & Ecclesiæ magna pietate illustravit. Cum itaq; finitimi eius ingenium mirarentur, in monasterio S. Petri prope Merseburgum abbas factus est. quam dignitatem summa humilitate & pietate obtinuit, & oues sibi commissas piē custodiuit, anno Christi 1080. Trit. in script.